

David Chyträus

Daudis Chytræi De Historia. Herodoti, Oratio.

Rostochii: Ferber, 1594

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762881934>

Druck Freier  Zugang



CC

5544/1



18
Vogl.

6c-5544/1



Davidis Chytrai
DE HISTORIA.
HERO-
DOTI,
ORATIO.




Rostochij
Typis Ferberi Junioris.

M. D. XCIV.



1927 X^{IV} 40.

Davidis Chytræi
PRAEFATIO IN
HERODOTI LE-
CTIONEM.

VM HERODOTI HI-
storiam, Deo iuuante, in Schola in-
terpretari decreuerimus: inquit, vt
studiosas verè sapientiæ & doctri-
næ, summo cum fructu & voluptate
coniuncte, mentes, ad optimi & dulcissimi auctoris le-
ctionem inuitem: quædam præfari institui, non aliun-
de accersita, sed ex Herodoteæ Historiæ penetralibus
deprompta, quæ sapientiam illius, & vtilitates, la-
tissimè in omni vitæ & doctrinarum genere paten-
tes, demonstrent.

Est alioquin Historiæ sapienter scriptæ hic pri-
mus finis & vsus, quem in vestibulo sui operis Hero-
dotus indicat, ne rerum magnarum, ante nostram
ætatem in mundo gestarum, memoria, Tempore de-
leta exolescat. Vi enim Deus totum hoc pulcherrim-
um mundi theatrum, cælos, solem, lunam, stellas,
elementa, plantas, animantia, aspici à nobis & con-
siderari vult; Quæ Historia naturalis ab eruditis vo-
catur: sic in eodem mundi theatro, Res maximas &
memoriâ dignas, à Deo & Hominibus illius incolis
gestas, non obliuione extinguï ac deleri, sed litera-
rum & Historiæ monumentis conseruatas, cognosci

à nobis & propagari iubet. Ideoq; ipse continuam mundi Historiam (in qua tanquam in tabula pictum & ὑπομίμωσις vno velut contuitu oculis subiectum cernere possimus, quicquid ab initio mundi memorabile gestum est) singulari beneficio in Mose & Prophetis, & hos immediatè secutus, HERODOTO, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, Liuiio, & Caesarum scriptoribus, conseruauit.

Et in Sacra seu Prophetica historia, Res maximas, à Deo ipso & Filio Dei Seruatore nostro Iesu Christo, & Ecclesia Dei gestas, posteritatis memoria proposuit: Creationem ac exordia mundi & generis Humani; Institutionem coniugij, ecclesie, & vere Religionis; lapsum & reparationem primorum hominum, causam calamitatum & mortis humane, Promissionem de CHRISTO; Seriem Annorum Mundi certam ac perpetuam; Originem & stirpes omnium Gentium; Initia Monarchiarum, propagationem Regni Christi & Ecclesie in familijs patrum & Politia Iudaica. Cuius historia, per annos amplius mille continuata, & perpetuo VERBI DEI, docentis, adhortantis, comminantis, consolantis, velut sale perspersa est.

Exempla verò virtutum, non modò Politicarum, sed etiam primæ Decalogi tabule, veri Timoris Dei, Fidei, Inuocationis DEI: nec tantum Fræ Dei, ac Pœnarum Diluuij, Sodome, Pharaonis, excidij Hierosolymæ, verum etiam Gratiæ & Misericordiæ Dei erga peccatores pœnitentiam agentes, Dauidem, Manassem, Aaronem, proponit. vt de
Mira-

Miraculis, & vaticinijs Prophetiis, & Ἀρχαιολογία seu Antiquitate Historie, quæ proprium veræ ecclesie decus ac ornamentum, siue vt Græci dicunt, κλέκλιον est, nihil hoc loco dicam.

Ethnica verò Historie, HERODOTI, Thucydidis & similes, nihil de Filio Dei & de reconciliatione ac doctrina Euangelij propria, nihil de CHRISTI summi Regis eterno & spiritali Regno differunt. Sed Legis solius sententias, de moribus, & pœnis scelerum diuinis, subinde narrationibus intexunt. & REGnorum huius mundi ac Rerumpublicarum Initia, progressiones, Principes, Gubernatores, res gestas & conuersiones describunt. & EXEMpla VIRTutum Politicarum, & Bonorum ac salutarium Consiliorum Gubernationis Reipublice, non solum ad intuendum, verum etiam ad IMITandum proponunt, Quorum cogitatione, ad Rempublicam & vitam priuatam rectè & feliciter administrandam mentes suas conforment.

Nunc igitur discrimine sacre ac ethnice historie breuiter delibato, de altera hac illustri vtilitate Historie dicam, quod MAGISTRA VITÆ est, sapientia Legis diuine, Gubernatricis Imperiorum & vite priuate, Exemplis insignibus magnorum Principum & Rerumpublicarum illustrata. Norma enim vite, & Regula consiliorum actionumq; in gubernatione Reipublice & vite priuate æterna & immota, est LEX DEI seu Decalogus, cuius Præcepta sunt radij Sapientie & Justitie

tia Diuine, ex quibus omnes honestæ LEGES & præcepta virtutum Ethica & Politica, tanquam ex fonte augusto & perenni emanarunt. Historiæ verò sunt sapientia seu Doctrina LEGIS DEI Theologica, Ethica, & Politica, EXEMPLIS insignibus in magnorum Regum & Rerum publicarum rebus gestis illustrata.

Vtile est igitur, ad præcepta Legis Dei seu Decalogi, tanquam ad metas seu Regulas & leges vitæ, Exempla Historiarum referre. Quare in hoc etiam prælectionis Herodoteæ exordio, Historias illius præcipuas, ad conuenientia Decalogi præcepta, & vitæ leges, ordine accommodabimus. Quarum hæc prima & summa est, quæ adfirmat, verè esse Deum conditorem & inspectorem imperiorum & vitæ humane, omnipotentem & iustum, qui flagitiet & præmijs ornet Timorem Dei, Modestiam, Iustitiam: & horribiliter puniat impietatem, iniurias, Tyrannidem, lasciuiam & libidines. Hæc lex in Primo præcepto tradita, EGO sum DOMINVS DEVS TVVS, fortis, zelotes, VISITANS INIQUITATEM, seu PVNIENS PECCATA; commune Argumentum est omnium Historiarum. sicut Herodotus ipse, totam belli ac Excidij Troiani historiam, ad hanc primæ legis Decalogi Regulam accommodat: cùm Troiam, propter adulterium Paridis & alia scelera funditus euersam, toti humano generi concionari inquit, ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλοι εἰσὶ καὶ ἄτιμωρία παρὰ τῶ θεῶ, Quod magna & atrocia delicta,

εὐτερεπ.
p. 68.

delicta, magnis & atrocibus pœnis à DEO, Vindici-
bibus flammis, sibi qui cōtraria delet, Ipseq; iustitię re-
gula sola manet: plectantur. Constat enim, eternā po-
situmq; lege est, quod a tibi Herodotus, Hipparcho,
pridie antequam interficeretur, diuinitus nunciatum
recitat, οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἄπο-
τίσθ; Nullus homo pœnam sceleris reus effugit vn-
quam. Inprimis verd, magnos Reges ac Principes,
ob potentiam & opes ac omnium rerum adfluentiam
insolentes, & superbos Tyrannos, ex summo di-
gnitatis & opum fastigio, in sevas clades & procellas
deicere ac precipitare, gratissimū Deo superbis resi-
stenti, velut ludum & iocū esse, in deliberatione belli
Xerxis refert. Vides vt prægrandes bestias, & celsas
turres, & arbores, Fulmine feriat Deus. φιλέει γὰρ
θεὸς ὑπερέχειν πάντα κολῆει, Solet enim DE-
V S, & iucundus ipsi gratissimusq; ludus est, omnia
sublimia mutilare, omnia excelsa & in altum sub-
lata ac superba, que ipsi abominationi sunt, trun-
care, & grauiore casu deicere ac euertere, Irus vt
existat, qui modò Cræsus erat οὐ γὰρ ἔα φρονέειν
ἄλλοι μὲν αὖ θεὸς ἢ ἑαυτὸν. Non enim sinit ali-
um magna de se sentire Deus, nisi se ipsum, sicut re-
cens quidam suis de vita aulica libris præfatur, Ni-
hil in rebus humanis magnum esse, nisi Animum, ea
que vulgò magna habentur, contemnentem, & vnum
ac solum DEVM MAGnum agnoscentem &
colentem.

πολυμν.
 p. 201.

Recitat in primo libro Herodotus duorum po-

A 4

tenissi-

tentissimorum Regum, CROESI ac CYRI hi-
 storiā, & in vtrāq; DEVM inspectorem ac Iu-
 dicem consiliorum & actionum humanarum nomi-
 nat. Cum Cyrus bellum Medis inferret, Astya-
 ges, Medorum rex, exercitus omnes ad defensionem
 regni comparatos, HARPA GO pratorij præfe-
 cto commendat, cui olim, ad mensam regiam hono-
 ris causa adhibito, proprij filij carnes comedendas
 apposuerat. propterea quod Cyrum infantem, ius-
 su regis necandum, Harpagus conseruarat. Huius
 tante tamq; atrocis iniurie, Harpago illatę, imme-
 mor Astyages: fidam sui status & regni defensionem
 ab eo expectat, quem tanta perfidia & scelere
 violauerat, & ad iustissimum vindictę ardorem in-
 flammarat: Ὡς τε θεοβλαβής ἐστί (inquit Heró-
 dotus) quia Deus, scelera Astyagis tyrannica graui-
 bus penis vindicare volens, ratione & consilio sano
 cum priuatum, cęcitate & amentia, que summa &
 tristissima pœna est, percusserat. nam Iratus ad
 pœnam DEVS si quos trahit, Eripere mentem
 talibus prius solet, Caliginemq; offundit, vt ruant
 suas Furenter in clades, sibi quas noxijs Accer-
 sierunt vltro consilij mali.

Sic de Candaule, vltimo ex Heraclidis Lydo-
 rum rege, proprię coniugis instinctu, à Gyge inter-
 fecto, præfatur, (ἔην ἄ καὶ δόλην γενεοδα
 κακῶς) Fato Candaulem, cum exitium ei immine-
 ret, stultitia & amentia sua, monstrando Gygi nu-
 dam coniugem, illud attraxisse. Quam bellissimę
 concinnatam, & venustissimę conpositam, & sex
 specio-

speciosis ac optimis sententijs, vtilissimas vite, con-
filiorum, & actionum instructiones continentibus,
illustrem narrationem, non sine eximie vtilitatis &
jucunditatis fructu in ipso Herodoteæ Historiæ ve-
sibulo legemus. Sequitur pauld post, sapientissi-
mum Solonis cum Cræso colloquium, cui suas opes
& thesauros ostentanti, & Quem Beatissimum,
perlustrato orbe terrarum, Solon cognouisset, sciscita-
nti: T E L L Y M ciuem Atticum honestum sed
pauperem, in bello pro patria fortiter dimicantem,
ac victorem tandem interfectum: & Cleobum ac
Bitonem, sacerdotis Argine filios, in templo ob-
dormientes, nec iterum expergiscetes, Solon no-
minauit. Cræsum verd, suam felicitatem, regnum,
& opes immensas anteferre cernens, longa concio-
ne, de calamitatibus & miserijs, quibus omnes ho-
mines obnoxij essent, & de fragilitate & inconstan-
tia fortuna: ideoq, ante finem vite, beato nemine
dicendo, admonens, his verbis concludit, σκοπέει
δε ἡ ζωὴ πάντων ἡμάτων πῶς τελευτῶσιν ἢ
ἀποθνήσκουσιν. πολλοῖσι γὰρ δὴ ὑποδέξασθαι ὄλβου
ὃ δεδεδε, προεγίγνωσεν ἀνέτρειψε, considerare oportet
omnis rei finem, quomodo exitura sit. Multis enim
ostendens felicitatem D E V S, ante vite finem fun-
ditus euertit.

Talium & concionum & exemplorum primi
præcepti, de D E O puniente superbiam, tyrannidem
libidines & alia Regum ac Principum & priua-
torum scelera, plene sunt Herodoti Historiæ. Nec
de pœnis solummodo & Iræ diuinæ testimonijs, ve-

ΕΥΤΕΡ.
P. 75.

rūm etiam de PIETatis & rectē factorum premijs
diuinis exempla commemorant. Sethonis Ægyptij re-
gis, qui Sacerdos antea fuerit, ideoq. à nobilitate Æ-
gyptia contemptus & neglectus sit, statuam lapideam
in templo, cum hac inscriptione, positam fuisse re-
fert: εἰς ἐμὲ τις ὀρέσῳ ἔνσθε βῆς ἔσω: In me ali-
quis intuens Pietatem colat. Cū enim à Sennahe-
rib Assyriorum rege Pelusij obsessus oppugnaretur, et
à procerib. suis spreus desereretur: ad Dei opē confu-
giens, ingressus templum, preces ad Deum ardentem
fudit. qui tranquillo cum animo esse in somnis ius-
sit. Se enim opitulatores ei, à suis deserto, curatu-
rum esse. Secuta igitur nocte, effusi in castra Assy-
riorum mures agrestes, Pharetras & amenta telo-
rum, & scutorum lora corrodunt, vt vsu nulli illa
redderentur. Quo animaduerso, Assyrii postridie
diuinitus incusso terrore obsidionem deserunt & au-
fugiant. Huius mirandæ liberationis memoria vt
conseruaretur, statua regis, cum inscriptione quam
dixi, in templo collocata est. qui verè vsurpare vo-
cem, in deliberatione Græcorum post prælium ad
Salaminem, postea editam potuit, τὰ ὅντα ὅντα
ἡμεῖς κατέργασάμεθα, ἀλλὰ θεός, Non nos ista
fecimus, sed DEVS. Liquidò autem apparet, de mi-
randa liberatione Ezechie, Hierosolymis à Senna-
berib. obsessi, Herodotum fama & auditione ali-
quid accepisse. Sed historia non integrè ipsi
nota fuit, Quam mutato Ezechie Iudææ regis
nomine, ad vicinæ Ægypti regem Sethonem tran-
stulit.

Spar-

Spartanos, iubente oraculo, Pisistratidas ty-
rannos, quamuis amicos & hospites, Athenis eijce-
re, τὰ τῶν θεῶν προσβύτερα ποιῆσαι ἢ τὰ ἀν-
δρῶν, Pluris obedientiam DEO præstandam fe-
cisse, quàm officia hominibus debita, in Terpsich.
ait, qui suo exemplo docuerunt, Deo magis quàm
hominibus obtemperandum esse.

p. 161.

Particulam verò primi præcepti, E G O S V M
Dominus DEVS TVVS, plurimè Horodoti con-
ciones & exempla illustrant, quæ non esse felicia &
salutaria hominum consilia, conatus, molitiones,
ostendunt, nisi diuinitus regantur & iuuentur. vt
in historia expeditionis Darij aduersus Scythas di-
citur, τὰ σφί ἐδόκεε ἄριστα βεβηλεῦσθαι, ἐν τῶ-
τοισι μάλιστα ἐσφάλισαν; Quo ipsis sapientissi-
mè deliberata & decreta videbantur, maxime
eos fefellerunt. Idem singuli, in quotidianis cogita-
tionum & Consiliorum, quæ optima & speciosissima
nobis videntur, frustrationibus experimur, vt disca-
mus, neminem, quantumuis sapientia & potentia
excellat, sibi ipsi DEVM esse, aut suis cogitatio-
nibus & viribus regere Consilia vitæ, & actionum
euentus posse. Sed hos in solius Iehouæ potestate
esse, qui optime à nobis cogitata & decreta ideo fru-
strari sinit, vt cum Propheta confiteamur, Non esse
hominis viam eius, nec viri quantumuis Heroici,
dirigere gressus suos, sed Dominum esse DEVM
Nostrum, à quo omnia nostra dirigi & gubernari
opor-

μελπ.

p. 139.

oporteat, quæ felicia & Nobis ac alijs prospera & salutaria esse velimus, Ideo neminem, quantumvis potentem & opulentum Regem aut Principem, suâ sapientiâ & viribus confidere debere, sed à solius Dei bonitate & auxilio, quod, iusta & necessaria suscipientibus & ipsum inuocantib. propositum sit, pendere. Hanc primi præcepti sapientiam, proluxa con-
 cio Artabani, in deliberatione Xerxis de bello Græcis inferendo, & CROESI, Cyro expeditionem aduersus Massagetæ dissuadentis, & alijs, illustrent.

ΠΟΛΥΜ.

p. 201.

κλείω

p. 43.

Ier. 44.

εὐτερ.

p. 80.

Nunc ad secundam Decalogi legem accedo, cui additæ comminationis exemplum insigne in historia Apryis, Ægypti regis, cuius in Ieremia mentio fit, ante oculos positum est. Apryis enim tanta fuit insolentia, impietas, & superbia, vt iactitaret, μή ὁ θεὸς μὴ μὴ ἐν ἡμῶν δυνάμει παύσαι ἡ βασιλῆως, οὕτω ἀσφαλῶς ἐωυτῶν ἰδρύσθαι ἐδόκει. Ne quidem Deum ipsum eripere ipsi regnum posse. Aded firmiter & secure thronum suum stabilitum & firmatum esse. Hunc superbum & blasphemum Regem paulò post, amisso in Libya exercitu, suis exosum, satellites AMASIS captum strangulauit. Ita viuam vocem & oculis subiectum exemplum comminationis additæ secundo præcepto agnoscimus, Non habebit DEVS insontem, qui Nomen illius vanè vsurpauerit.

Varij autem Nominis diuini Abusus, in Oraculis Ethnicorum fuerunt, quorum crebra apud Herodo-

Herodo-

Herodotum mentio passim extat. Diaboli enim, vt fidem & autoritatem suis responsis conciliarent, & vanitatem suam tegerent; multa sæpè vera, & à vero DEO per Prophetas ante reuelata; multa ex causis antecedentibus, ingenijs, consilijs, & actionibus hominum iniustis, certò secutura: multa quæ ipsi permittente DEO facere decreuerant, DEI nomine prædixerunt. Plerumq; tamen λοξα, dubia & ambigua fuerunt, vt si euentus cupiditati consulentium non respondisset; ipsi tamen, vaticinationes suas, non rectè ab excipientibus intellectas, pretextere possent. Vt Cræso sci-scitanti, apud Xenophontem respondet Pyibia, σαυτοῦ γινώσκων εὐδαίμων κροῖσε περᾶσθε, apud Herodotum verò, κροῖσθ' Ἄλυσθ' ἀβᾶς μεγάλῃ ἀρχῇ καταλυσθ', Cræsus Halyn penetrans magnam peruertet opum vim. vbi Cræsus, bellum animo aduersus Cyrum agitans, vt quæ volumus, libenter credimus, victoriam sibi promitti, et Cyri imperium à se euersum iri, somniat. Cum igitur moto bello non necessario, in acie victus & Sardinibus obsessus, captus, ac deinceps rogo impositus fuisset; serò sapientissimam Solonis subiectionem, de rerum humanarum inconstantia & fragilitate, & nemine beato, ante viæ finem dicendo, recordatur. & clementiâ Cyri seruatus, missis Delphos legatis expostulat, quòd tantis in templum Delphicum a se effusis donarijs, hanc gratiam ei Apollo reulerit, vt Oraculo deceptum, in tantas calamitates

tates precipitari. Diabolus ἐπιχαιρεκακῶν, omni se culpâ vacare ait. Verè enim prædixisse, ducto ultra Halyn exercitu, magnum Imperium à Cræso euersum iri. Idq̄, euentu ipso iam comprobari. Debuisset autem, audito oraculo, CROESUM, antequam bellum moueret, interrogare Pythiam, suum ne proprium, an alienum, Cyri videlicet regnum, destrueturus esset.

ἔντερος.
52. vsq̄ 60.
52. 65.
53. 14.

κλειῶ.
p. 28. 29.

cap. 2.

Ad tertium præceptum, Ceremonia Religionum, & ritus sacrorum, aliqua ex parte cum Biblicalis congruentes, pertinent, inter quos, Ægyptij, copiosissimè ab Herodoto describuntur. in quibus, CIRCUMCISIONIS etiam apud Ægyptios usurpata mentio fit. ac memorabile est, quod de capitibus victimarum refert, imprecantes ijs, quicquid vel ipsis offerentibus, vel vniuersè Ægypto mali euenturum sit, in flumen ea abijcere. A Persis, nec imagines, nec altaria, nec templa Djs collocari, sed in excelsis montibus, Soli ac Lunæ sacrificia offerri memorat. & de Forma precum in sacris vsitata perhibet, ἑαυτῶν θύοιτι ἰδίῃ μύθῳ, οὐ οἱ ἐγγίνεται ἀρᾶσθαι ἀγαθὰ. ὁ δὲ πᾶσι τοῖσι πέρσῃσι κατέυχεται εὐγενέσθαι καὶ τῷ βασιλεῖ. Nemini victimas offerenti seorsim sibi soli bona precari licet. Sed omnibus Persis simul, seu toti ecclesie Persarum, ac imprimis Regi benè precandum est. MAGOS etiam, quorum in Evangelio Matthei mentio fit, Sacerdotes Persarum fuisse, & Religioni ac sacrificijs apud eos præfuis-

fuisse ostendit. Sine Mago enim sacrificia illis offerre nefas fuit.

Ad IIII. Decalogi legem, quod parentes, & Imperia & Gubernatores ac Magistratus, parentum loco Nobis regendis ac tuendis præficit; referemus sapientissimam de FORMIS POLITIARUM, seu optimo reipublicæ statu inter septem Imperij Persici Principes electores habitam disputationem, qua vix vlla, in tota Herodoti historia, melior ac utilior extat. Cum enim tres formæ sint Gubernationis Politicæ; Quæ vel ab vno, vel à paucis, vel à multis seu vulgo administratur: & in singulis plures & diuersæ species sint; vt in Vnius principatu seu Monarchia, vel Dominatus est, absolutam in subditos potestatem habens, qualis est Turcici & Moschici Imperij forma: vel REGNUM, iuxta præscriptas LEGES, & certorum senatuum consilio, Iudicia & rempublicam regens, vt Imperium Germanicum, Regna Galliæ, Hispaniæ, & reliquæ Europæ pleraq;: vel Tyrannis propriâ libidine, iracundiâ, & crudelitate violente omnia regens, vt Cambyses, Phalaris, Pharaon &c. hanc præcipuè vituperans Otanes, (vt in Sossicis Corinthij etiam oratione, & Pisistratidarum, & Cypseli, ac Perian dri historia, similes Tyrannidis insectationes extant.) ΔΗΟΚΡΑΤΙΟΥ seu popularem statum, in quo Ius æquabile floreat, & suffragijs populi Magistratus electi, ad reddendas rationes obnoxij sint, & ad publicam vtilitatem consilia omnia

τρεῖς
p. 166.
168. 161.

omnia referant, institui suadet. Megabyzus verd,
vulgi imperiti tyrannidem minus tolerabilem esse
vnius tyrannide disputat. Nam multitudinem pro-
miscuam, sine sapientia & consilio ac delectu ali-
quo, ruere in negocia, temerè incitatam, ut rapida
flumina aut fluctus marinos ventorum impetu agi-
tatos. Aristocratiam igitur, in qua optimis &
prestantissimis viris summa potestas tradatur, consti-
tuendam esse. ἀριστοκρατία ἢ ἀριστοκρατία ἐκ τῶν ἀρίστων βε-
λεύματα γινέσθαι. Optimorum enim virorum
optima consilia esse, consentaneum est. Tandem
DARIUS, vulgi & paucorum optimatum, ut vocan-
tur, imperijs reiectis, optimum Reipublicæ statum
esse, inquit, cum vni viro, virtute & sapientiâ prestan-
ti, summa potestas, legibus certis circumscripta com-
mendatur. Qui enim Legem iubet præesse (inquit
Aristoteles) præficit Deum & Legem. Qui verd
homini soli summam potestatem tribuit, præficit
beluam. Talis enim est cupiditas & iracundia
Magistratus, quæ etiam optimos viros deprauat.
uat. Lex verd est mens sine cupiditate. Cumque
in Oligarchia etiam ortis inter collegas emu-
lationibus, dum vnusquisq; ex paucis illis optima-
tibus cupit præcellere & esse supremus: & in De-
mocratia (in qua ἀκρότης δουλείας δουλειῶν) confu-
sionibus & anarchiâ, excitatis seditionibus & la-
nienis mutuis, tandem ad vnum Pietate ac meritis
grauem decurratur, cuius autoritati & virtuti se
ceteri regendos ac tuendos commendant: hinc et-
iam perspicuum est, Optimum Reipublicæ sta-
tum

cum esse Monarchiam. quam laudans Homerus in-
quit, Non multos imperitare bonum est, Rex vnicus
esto, & Gubernator supremus, cui Deus sceptrum
& leges tradidit, vt Regnum inter vos teneat.

Quare & Persici principes, Diuinitus bonos
Reges dari agnoscentes, Deo iudicium de futuro
Rege permittunt. Cumq; Darius, manifestis testi-
monijs diuinis confirmatus esset, Persico more
eum, esq; equali & pari cum ceteris conditione ha-
bitus fuerat, vt Gubernatorem diuinitus datum re-
uerenter adorant, magnificiunt, diligunt, colunt, &
sua corpora & fortunas ad illius defensionem con-
iungunt. Has de optimo Reipublice statu Herodoti
Orationes, quae in tota ipsius historia praecipue emi-
nent ac elucet: patrum memoria, Franciscus Guic-
ciardinus, populi Florentini deliberationem de for-
ma Reipublica deinceps constituenda describens,
sapientissimis sententiarum & verborum luminib; ac
omni dicendi copia euolutas, felicissime emulatus est.

Aliquot etiam artium Tyrannicarum, in adi-
piscenda primum & stabilienda tyrannide, exem-
pla, quorum similia singulis etatibus in ecclesia &
politijs cernimus, insignia Herodotus recitat, quae eo
considerari prodest, vt agnosci similes artes & caue-
ri rectius possint. Pisistratus cum blanditijs ver-
borum, epulis, & muneribus, Attice plebis beneuo-
lentiam sibi conciliasset: insulso sibi ipsi vulnere,
vita sua insidias struit, & se ab aduersarijs & emulis
suis vulneratum esse fingit, eaq; occasione satellites,
tanquam custodes corporis, communi populi consen-
su sibi adiungit, quorum ope arcem occupat, &

B

princi-

κλδω
p.ii.

principatum Reipublice totius obtinet, eumq̄ tali
astutiâ & moderatione administrat, ut ne Soloni
quidem, ciues suos fidelissimè premonenti, fides à
populo haberetur. Nota enim est, & digna me-
moriam Solonis oratio.

Diog.
Laert.

εἰς γὰρ γλῶτταν ὄρατε καὶ εἰς ἔτη αἰ-
μύλα ἀνδρῶν

εἰς ἔργον δὲ οὐδ' ἐμὲ γιγνώμενον
βλέπετε.

εἶδε πεπόνθατε δεινὰ δὲ ὑμετέρας κακό-
τητα,

μήτι θεοῖς τῶν μοῖρας ἐπεμφε-
ρετε

αὐτοῖ γὰρ τῶν ἡνέκασα ἔρύματα
δόντες,

καὶ διὰ τὰυτα κακῆν ἔχετε δ' ὀλο-
σώκη.

τορϛ:
p.168.

Periandro, vni ex septem sapientibus, qui
Corinithi tyrannidem recens occupauerat, ex Thra-
sybulo Mileti tyranno iam veterano, per le-
gatum sciscitanti, Quâ ratione eam confirma-
re & tueri posset; nihil verbis respondet, sed in a-
grum maturis iam segetibus eum ducit, & SPICAS
in agro passim extantes baculo decutit ac mutilat.
Quòd cum legatus, domum reuersus, de mirabili il-
lo ac muti personam referente homine, Periandro
narrasset: intelligit, ciues autoritate & opibus pre-
stantes, sibi, quibuscunq̄, pratextibus ex medio tol-
lendos esse. Sicut nunc quosdam, primatum & re-
gnum nouum in ecclesia molientes, eadem arte
grassari videmus, ut regnandi cupiditatem, qua ip-
si ar-

si ardent, omniaq; ad eam studia & consilia referunt; & malas artes ac fraudes, quibus uiuntur ipsi & crimina ac scelera, quorum ipsi rei sunt, in alios modestos, & suo loco de ecclesia bene merentes transferant, ut hominum oculos & aures à se in illos conuertant, eosq; omnis generis probris & conuicijs deformant ac obruant.

Pœna etiam Sisamnis, δωσοφᾶς præsidis, digna memoratu est, cui, quod muneribus se corrumpi, & sententias iniustas pronunciari passus esset, cutem uiuo detrahi, & lora inde secta in tribunal seu thronum Iudiciale expandi, Cambyses mandauit. Postea Sisamnis filium Otanem, in eam sedem collocatum, admonuit, ut quotiescunq; pellem paternam intueretur, iuste sibi iudicandum esse, meminisset.

De STORGIS etiam inter parentes ac liberos, & proximos sanguine iunctos, & de multorum Regum ac Principum Ασογῶν immani & Diabolica, narrationes considerentur. Astyages nepotem ex filia Cyrum ad necem exponi iubet. Cambyses ἀσοργος fratrem Smerdin, & Sororem sibi matrimonio iunctam trucidat, ut nunc Turcici Imperatores, regnum serè à fratrum parricidijs ordiuntur. Psammenitus uero Aegypti rex à Cambyse captus, cum uxorem, filios & filias duci ad supplicium cerneret, siccis oculis stupens & attonitus eos spectauit. Cum uero Amicum & familiarem duci uideret, largum lachrymarum flumen fudit. Interrogatus uero à custodia illius præfecto, cur huius potius quàm coniugis & liberorum necem tot lachrymis desleret: respondit, Dolorem domesticum ma-

p. 23.

p. 59.

p. 86.

iozem fuisse, quam vi lachrymis exprimi potuerit. Amici verò casum lachrymis deplorari posse.

Inter **QV**inti Præcepti virtutum, ac Fortitudinis Bellicæ imprimis, exempla, eminent, **CYRI** Persarum Monarchæ primi, Heroica animi magnitudo, & virtus, & felicitas, qui Astyagen Medorum, Cræsum Lydorum, Labinitum Babyloniorum, & Ionicas vrbes potentiſſ. & perinatissimè se defendentes, singulari virtute, & fortunâ admirabili deuicit. & victorias clementiâ & bonitate singulari temperauit, & erga Ecclesiam Dei ac gentem Iudaicam beneficus fuit. Deinde Miltiadis, Themistoclis, & Pausaniæ, ad Marathonem, Salaminem & Plateas victoriæ clarissimæ. **LEONIDÆ** etiam Spartani regis virtutem omnes ætates admiratæ sunt, qui cum trecentis Lacedæmonijs pro libertate Græciæ aduersus innumerabiles Xerxis copias fortissimè dimicans, cum circiter vicies mille Persas trucidasset, ipse tandem cum suis ad internecionem casus est. & quidem solus, ex omnibus hominibus, maiorem gloriam victus, quam alij ex pulcherrimis victorijs, adeptus est. **Χρήγας**, vi grauissimè Diodorus Siculus de hac ipsa pugna inquit, οὐ κ' ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων κενὴν τὴν δόξαν εἶδεν, ἀλλὰ ἐκ τοῦ προσαρτίου. De bonis & præstantibus viris non ex euentu, sed ex animi eorum proposito iudicandum est. Pausaniæ etiam, post victoriam ad Plateas, moderatio animi & clementia ac Humanitas laudabilis est, non seuiens in hostium intersectorum cadauera, sed satis sibi esse aiens, si iusta faciendo & sancta dicendo suis Spartanis placat,

lib. 6. 8. 9.
p. 193.
253. 277.

πολυμ.
237.

lib. 11.

καλλ.
280.

καταποδοῦμαι, Σπαρτιῆσι (Ἰσῶ) ἀρεσκόμενον, ὅσα μὲν ποιεῖν, ὅσα δὲ καὶ λέγειν.

Regule, de Pœnis seditionum, à Salomone tradite, Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum seditionis ne commisceris: repentinus enim veniet interius eorum: Exempla illustria, in calamitatibus Ionum, Carum, & Cypriorum, qui duce Aristagora Milesio, aduersus Darium Persarum regem, stulto libertatis recuperanda amore rebellant & in ipsius Aristagora, & urbis Milei, sexto post seditionis initium, anno, demum capte ac solo equate, & Histie in crucem acti, Tragico interitu proposita sunt. Et in Vrania, grauissimam de seditionibus sententiam pronunciat, Στάσις ἐμφυλῶ πολέμου δημοφρονέοντι τοσούτω κακίον ἐστὶ, ὅσω πόλεμος εἰρήνης, Seditio intestina tantò nocentior est bello, quod consentientibus animis aduersus externos geritur, quàm bellum peius est pace.

STVDij verò Concordiæ, & moderationis ac ὑποκειῶς, publicæ salutis & tranquillitatis causâ, de suo iure, & quidem de imperio cedentis, statim in vestibulo libri octaui, exemplum sunt Athenienses, in bello Xerxis, Imperium belli summum Lacedæmonijs permittentes. cumq; postea Tegeate, ante preliū ad Plateas, cōtrouersiam de loco mouerent, honestissime respōdet, πάντες ἄνθρωποι γινώσκοντες εἶναι βέλτεροι, Quocunq; loco ordinati erimus, conabimur, vt bonos ac fortes viros decet, preliari.

De AMICICIA etiam, pulcerrima est Darij regis Persarum vox, ad Histieum Milesium, de se benè meritum, quanquam simulatè prolata, κτημά-

Prou. 24.

τορ 412

p. 170. 172.

169.

173.

ἔσατ. 176.

p. 178.

240.

p. 240.

καλλ.

p. 270.

ΤΕΡΨ.

154.

ΜΕΛΠ.

139.

in Achar-
nensib.

Τῶν πάντων ἐστὶ τιμιώτατον ἀνὴρ φίλος, ἕως
τὸς τε καὶ ἕνοος, summus est homini thesaurus,
fidus amicus. quam in epistolis ad amicos sæpè ele-
ganter vsurpare studiosi poterunt. Alibi malum
Punicum aperiens, tot Megabyzos, quot in
eo pomo grana inessent, magis se optare ait, quàm to-
tam Græciam sibi subiectam esse, significans Regibus
nullos thesauros fidelibus amicis cariores esse.

SEXTAM Decalogi legem, quæ casti pudoris de-
cus, & amorem ac fidem Coniugalem sancit, & va-
gas libidines, Adulteria, raptus, non priuatis solum
& domesticis, sed totarum vrbiũ & gentium cala-
mitatibus ac excidijs puniri testatur: prima statim
pagina Herodoti, exemplis illustrat. quæ primas
bellorum inter Græcos & barbaros causas fuisse Li-
bidines & raptus nobilium fæminarum, Io, Euro-
pæ, Medæ & Helene commemorat sicut inter cau-
sas Diluuij, exitij Sodomorum, Gabaitarum, exilij
Dauidis, excidij Hierosolymæ recensentur. & proximi-
mam belli Peloponnesiaci, & odij aduersus Mega-
renses in Pericle implacabilis, causam fuisse ASPA-
siam, Periclis concubinam, Aristophanes narrat;
quam contumeliose Megarenses quidam adolescen-
tes nobiles tractarant. Sic Saracenis, inuadendi
HISPANIAS & in Galliam progrediendi occasionem
primam dedit CABADA, Iuliani principis Tingitani
filia ingenio & formâ excellens, Quam in Gynæceo
Roderici regis Hispaniæ viuentem, rex compresserat.
Eam contumeliam ut Iulianus vlcisceretur, Sarace-
nos ex vicina Mauritania in Hispaniam inuitat.
cumq; adiuncto in societatem consilij archiepiscopo

Hi-

Hispalensi Optasio, Hispanis, qui alioquin Gothorum imperium oderant, persuasisset, Saracenos Christianam religionem, & privilegia, singulis civitatibus & Principibus libera relicturos ac defensores esse: subito impetu, tanquam torrente, intra paucos menses, uniuersa Hispania in Saracenorum potestatem venit, quam continuos fere octingentos annos retinuerunt, donec a uorum memoria primum, à Ferdinando Catholico, Caroli V. auo materno, penitus ex Hispania finibus iterum eieci sunt.

Sed ad Herodotea redeo. in quibus, eruditè ac bellè concinnata narratio, de Legatis Persarum impudicis, ab Alexandro iuvene Macedoniæ regè trucidatis, in Terpsich. extat. Hi ad Amyntam Macedoniæ regem senem missi erant, ut terram & aquam, se suaq; omnia, Dario dederet. Amyntas reuerenter eos, conuiuio etiam magnificè instructo excipit, & petentibus, uirgines ac matronas nobiles ex Gynæceo ipsis absidere iubet. Erga has, cum ebrii immodèstius sese, osculis & sinibus earum atrectandis gererent: Alexander iuuenis, Amyntæ filius, hortator est patri, ut cubitum eat, & quietem seni necessariam petat, se hospitibus sedulo ipsius loco adfuturum esse. Esi autem pater, iuuenem, dolore & iracundiâ feruentem, hortabatur, ne quid iuuenilis ætatis calore inconsideratus, aduersus tanti regis legatos, moliretur: tamen eo digresso, Alexander, Persas lasciuientes alloquitur, ut Gynæceo aliquantisper secedendi & vestes mutandi facultatem præbeant. Interea aliquot imberbes ac bellos iuuepes mulierum vestibus indui, & singulis pugionem sub veste abdi iubet. Hos in conuiuium

p. 153.

reducit, & binos singulis Persis adsidere iubet, vt pro arbitrio cum illis se tota nocte oblectent. Cum autem Persæ ebrij, denuð impudicis verbis ac gestibus, sibi adsidentes adorirentur; dato per Alexandrum signo, ab adsidentibus sibi vring, adolescentibus, virginum more comptis, Persæ confossi, eorumq; ministri à cæteris satellitibus Macedonicis interfecti sunt, ita vt ne vnus quidem cladis nuncius ex legatione illa ad suos rediret.

Inter alia etiam, Cambysis Persarum tyranni, scelera: incesta cum sorore consuetudo eminent, Quam cum coniugem ducere decreuisset, ex consiliarijs Iureconsultis sciscitatur, an Iure sororem ducere liceat: respondent hi, Nullam extare in Codice suo legem, qua expressè id concedat. Sed aliam se inuenisse legem, quòd regi Persarum liceat facere quicquid libet. Cum autem aliquandiu eam in matrimonio Cambyses habuisset: lachrymantem ob fratris Smerdis necem, excandescens grauidam interfecit. Ita ne gemitus quidem apud hunc tyrannum liberi fuerunt. Sed paulò post, pœnas Cambyses, & huius incestæ consuetudinis & aliorum scelerum dedit, cum insiliens in equum, suo ipsius gladio, ex vagina excidente, vulneratus, inter horrendos animi malè sibi conscij cruciatus interijt, vitiq; cum gemitu fugit indignata sub vmbra.

Sed non Viciorum solummodò & turpitudinum sexto Præcepto aduersantium, verùm etiam Pudoris ac verecundie, aliarumq; virtutum casti pudoris decus ornantium, exempla Herodotus supeditat. Quantum decus fuit in Pausania rege
Spar-

Οαλδα.
p. 89.

Spartano, cui cum post victoriam ad Plataeas, captiua Coa, pulcherrimę formę, qua omnium in se oculos cõuertebat, premij loco ex præda hostili adduceretur: intactam & inuiolatam in Coum, vnde à Persis abducta erat, remisit & parentibus suis restituit. vt postea Alexander magnus, Darij coniugem & filias captiuas ad se adductas, defixis pudore in terram oculis, aspicere intemius noluit, ne flammis illegitimi amoris accenderetur.

In primis autem memorabilis apud Herodotum est, in vxoribus Minyarum castitas, & amor ac Fides coniugalis erga maritos tanta, vt seipsas mortis periculo exponere pro maritorum salute non dubitarent. Cum enim Minye, viri nobiles, ex Orchomeno pulsati circiter triginta, Lacedæmone ob qualescunq; affectati regni suspiciones, in carcerem coniecti & ad necem damnati, mediâ nocte capitali supplicio adficiendi essent: vxores eorum, magistratu assentiente, vt semel adhuc ante mortem maritos alloquerentur, circa crepusculum ingressę carcerem, consilium dant maritis, vt permutato cum mulieribus habitu, & velato per simulationem doloris vultu, crescentibus iam tenebris custodia exirent. Se maritorum vestibus indutas, manere, & euentum Deo commendare velle. Præfecti rerum capitalium, more Spartanis vsitato, mediâ nocte, supplicium de reis sumpturi, cum effugisse eos relictis vxoribus comperissent, re ad senatum delatâ, Mulierum fidei ac virtuti maritos condonant. & in Theram insulam, & postea Cyrenas, coloniam ducturos, fideliter iuuerunt.

καλλ.
p.280.

μελπ.
140.

B 5 Cũm

βαλ.
p. 90.

Clio
p. 29.

ευτθ. 69.
δρατ. 180.

κλρω
29. 30.

Cum autem custos casti pudoris Temperantia sit: ut Ebrietas omnis flagitij & spurcicie fomes est, Nam Venus in vinis, ignis in igne, furit: pertinent ad hanc Decalogi legem, etiam EBRIETATIS ab Herodoto commemorata exempla. inter que maximè eminent Cambysis tyranni teterrimi cum ceteris sceleribus coniuncta Ebrietas. de qua vitanda cum Prexaspes fidissimus ipsi amicus, moneret: filium Prexaspis sisti ad limen aula tyrannus in conuiuio iussit, ac nisi pomum capiti pueri impositum ebrius certissimè ferirer: deinde, altero telo cor ipsius transfigeret; meritò se à Prexaspe accusatum iri dixit. Cumq; cor pueri medium spiculo traiecisset: conuersus ad patrem, ridens interrogat, An non etiam ebrius certam ipsi manum habere videretur. Prexaspes, dissimulato dolore, negauit, Apollinem ipsum certius iaculari potuisse. Huic historię epiphonema addit Seneca. O Regem cruentum, ò dignum in quem omnium suorum arcus vertantur. Alibi Persas ebrios de grauissimis rebus deliberare ait, Quas tamen postridie sobrii retractent.

Ad Septimi præcepti classè mirabilis illa de FVRE Ægyptio, sub Rapsinito rege, narratio pertinet. & de Glaucio Spartano Depositiū hospiti Milestio negante.

Ad VII I, in eadem Glaucii historia, Oraculi versus, de pœnis periurij, inter quos postremus est, ἀνδρὸς δὲ εὐόγου γενηὲ μετόπισθερ ἀμφωρ, viri veracis & seruantis Furamentum posteritas melius habebit. Et de Persarum educatione, quos ait, à prima etate institui, ἰππέυει, τοξέυει, ἀλκίβιζεοδαι. Turpissimum enim omnium esse apud Persas

fas, Mentiri. Secundò autem loco, Ære alieno premi-
 um alias ob causas, tum verò quod necesse sit, plus
 alijs debentem quàm dissolvere possit, sæpè multumq;
 mentiri. tamen si Darius alibi, non semper apertam
 veritatis faciem ostendendam, sed in loco mentien-
 dum esse, vbi plus inde commodi & lucri appareat, &
 hostes dolo & fraude circumueniendos esse, aulico
 more disputat, congruente cum Vlysis ad Neopto-
 leum Achillis filium præceptis.

θαλ. 98.99

Sophocl.
 in Phil.

ΝΕΟ. οὐκ αἰχρὸν ἢ γῆ δῖθα, τὰ ψεύδῃ λέγειν
 ΟΔ. οὐκ, εἰ τὸ σωθῆναι γε τὸ ψεύδῃ φέρον. (Λαμ
 ΝΕΟ. πῶς οὐ βλέπω τις ταῦτα τολμῶς λα-
 ΟΔ. ὅταρ ἔδραξ ἐς κέρδῃ οὐκ ὀκνῆρ πρῆπῃ.

De Calumnijs, quibus boni ac Innocentes à
 deterioribus sæpè opprimuntur, passim in Herodoto
 sententiæ extant. Sed exemplum pœnæ calumniato-
 rum, in Xerxis historia insigne recitatur, apud quem,
 prælij Salaminij tempore, cum Phœnices nautæ, ig-
 nauit ac proditiõnis, Ionas accussassent, quos foris-
 simè, de pressis aliquot hostium nauibus dimicasse,
 ipse cognouerat: Phœnicibus delatoribus capita præ-
 cidi iussit, ἵνα μὴ αὐτοὶ κακοὶ γενόμενοι, τῶν ἀ-
 μεινοῦσας διαβάλλωσι, ne ipsi ignaui & imbelles,
 alios præstantiores calumniarentur.

Cum IX. & X. Præceptis, quæ non externa tan-
 tum scelera, sed interiores etiam animi cupiditates
 & adfectus Deo displicere & prohiberi docent,
 congruit oraculi sententiã in Erato, τὸ πρῆσαι
 τῶ θεῷ, καὶ τὸ ποιῆσαι, ἴσον δῶσα. Tentare
 Deum tacita cogitatione aut conatu delicti, & FA-
 cere, equale peccatum est, & similem penam apud
 Deum

p. 133.

Deum meretur. In maleficijs enim voluntas non exitus spectatur. Nam scelus inira se tacitum qui concipit vllum, Facti crimen habet, vt Poetę versu vtat.

Existimo autem, ex hac, Doctrina, seu con-
cionum, & sententiarum, ac Exemplorum, que in
Herodoti historia extant, in Decalogum distribu-
tione, perspicue intelligi, totam Herodoti Historiam,
esse LEGIS diuine sapientiam, Exemplis magno-
rum Regum & Principum illustratam, qua Guber-
nationis politice & vite priuate consilia regantur.
Duc enim Res precipue hominum sanorum Con-
silia & actiones in Republica & vita priuata gu-
bernant, Doctrina seu Præcepta Legis DEI, & hinc
extructę, Ethica ac Politica. Deinde, Exempla
consiliorum & euentuum ac pœnarum, que ferè con-
spectiora sunt, & alius in animos rudiorum pene-
trant, ac efficacius quàm nuda præcepta, ad recte
factorum imitationem, & scelerum ac turpitudinis
odium & fugam impellunt. Cùm igitur amba hæ
Regule & Normę vite, in Herodoto, purissima ac
dulcissima Orationis forma & nectare ac melle sua-
uiore, exposita ac illustratę extent ac eniteant: Di-
gnissimam homine studioso, & Vtilissimam esse, ad
rectum Iudicium de Republica & communis vite a-
ctionibus formandum, & Sapientiam vite Guber-
natricem, Historię Herodoti lectionem, & cum LE-
GIS Diuine seu Decalogi præceptis congruere, ma-
nifestum est. Quod hac oratione demonst-
randum mihi imprimis sumseram.

DIXI.





in Achar-
nensib.

...των πάντων ἐστὶ τιμιώτατον ἀνὴρ φίλος, ἕως
...ός τε καὶ ἔυνοος, summus est homini thesaurus,
...us amicus. quam in epistolis ad amicos sæpè ele-
...er usurpare studiosi poterunt. Alibi malum
...m aperiens, tot Megabyzos, quot in
...rana inessent, magis se optare ait, quàm to-
...iam sibi subiectam esse, significans Regibus
...ros fidelibus amicis cariores esse.
...Decalogi legem, quæ casti pudoris de-
...ac fidem Coniugalem sancit, & va-
...lteria, raptus, non priuatis solum
...arum urbium & gentium cala-
...puniri testatur: prima statim
...nplis illustrat. quæ primas
bellor... barbaros causas fuisse Li-
bidines... feminarum, Io, Euro-
pe, Medea... porat, sicut inter cau-
sas Diluuij, Gabaitarum, exilij
Davidis, exc... sentur. & proxi-
mam belli Pelop... aduersus Mega-
renses in Pericle... fuisse ASPA-
siam, Periclis conc... nes narrat;
quam contumeliosè... adolescen-
tes nobiles tractarant. quoadendi
HISPANIAS & in Gallia... sionem
primam dedit CABADA, In... itani
filia ingenio & formâ excell...
Roderici regis Hispanie viuent...
Eam contumeliam ut Iulianus vi...
nos ex vicina Mauritania in H...
cumq; adiuncto in societatem cons...